



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

III. Vt singuli regis praepositi singulos alant pauperes, &c. Ll. Sax. cap. 3.
Iorn. cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

gelio: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Recolendum quod que nobis est quam terribiliter in libris positum est: *Si decimam dare nolumus, aut auferantur nobis nouem partes, & decima sola relinquatur.*

II.

Et volo vt cyricseatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipsis locis qui hæc dignius erga Deum & nos volunt deseruire. Hortatur nos sermo diuinus æterna cum terrenis, cælestia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, & quid complere debeatis. Facite etiam vt mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid iniuste mihi conquiratis: sed omnia vestra concedo vobis eo tenore quo mihi mea similiter exoptetis. Cauete simul & vobis, & eis quos admonere debetis, ab ira Dei & transgressione mea.

III.

Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo, quod consilio Vvolfelmi archiepiscopi mei, & omnium episcoporum meorum & Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum, & acquisitionem vitæ æternæ, volo vt pascatis omni via pauperem vnum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inueniatis. De duabus Nith-firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farina, & vna perna, vel vnus aries qui valeat quatuor denarios, & casei quatuor: & in tertia die pasce triginta denarii ad vestitum duodecim mensium vnoquoque anno. Et liberetis vnum *uivre theovne*, id est, forisfactum seruum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei, & amicitia mea, sub testimonio episcopi in cuius episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet 30. sol. & diuidatur hæc pecunia per testimonium episcopi pauperioribus qui in ipsa villa erunt vbi hoc non fuit executum.

IV.

Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut iudicialis liber dicit.

V.

Decreuimus etiam de sortilegis, & liblacis, & sortem dantibus, si hominem occidant, & negare non possint, vitæ suæ culpa iudicentur. Si pernegare velint, & in triplici or-